

tam futuris quam presentibus, qualiter nos pro remedio anime nostre et per interventum fidelium nostrorum Heinrici marchionis^a), Bennonis^b) Misinensis episcopi quandam villam Wisinana vocitatum, sitam prope fluvium Gan in regione Thaleminci, in comitatu vero eiusdem Heinrici marchionis, Misinensi ecclesie in proprium tradidimus — —

5 : Signum domini Heinrici tercii Romanorum imperatoris augusti, regis vero quarti.: (M.)
: Burcardus cancellarius vice Rutardi archicancellarii recognovi.: (S.J.)^c)

Data est .xvii. kal. mart.^d) anno ab incarnatione domini millesimo^e) nonagesimo .v.,

indictione .xv., anno autem domini Heinrici regni quidem .xlii.^f), imperii vero xii.;
10 actum est Berne;
in Christi nomine feliciter amen.

171.

Bischof Walram von Naumburg ermahnt den Grafen Ludwig von Thüringen zur Partei des Kaisers Heinrich IV. überzutreten. [Um 1095.]

15 *Gedr.: Mon. Germ. SS. 17,10.*

Ann.: Vergl. Einl. 131 Ann. 104. S. A. 245 Ann. 104.

Waltramus dei gratia, id quod est, Ludewico serenissimo principi, cum instantia orationum semet ipsum ad omnia devotissimum. Omni regno utilis est concordia, desiderabilis est iustitia. Hec enim virtus mater est probitatis et conservatrix totius
20 honestatis. Qui autem intestina grassando dissensione ad humani sanguinis alios irritat effusionem, profecto vir sanguinum est atque illius particeps, qui nostrum sanguinem sitiens semper circuit querens, quem devoret. Tu igitur gloriosissime princeps attendens, quomodo deus pacis est et non dissensionis, quod ex te est, cum omnibus pacem habeas. Deus caritas est, diabolus odium. Tota lex et prophete in dilectione pendent. Qui autem
25 odit fratrem suum, homicida est, nec habet partem in regno Christi et dei. Hoc ipsa veritas, hoc discipulus ille veritatis protestatur, qui de pectore dominico evangelii profundius potatus veritatem, fluminis impetu letificat habundantius civitatem dei. Sed ille vas electionis, qui usque ad tertium celum raptus, non secundum hominem, sed per revelationem Ihesu Christi evangelium suum didicit: „Omnis, inquit, anima potestatibus subli-
30 mioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a deo. Qui autem resistit potestati, dei ordinationi resistit.“ Sicut amici nostri inter mulierculas et simplex vulgus sompnant, regie potestati subdi non oporteat, falsum est ergo, quod omnem animam potestati subdi oporteat. Sed numquid veritas mendacii arguenda est? An experimentum querant eius, qui in apostolo loquebatur Christus? An emulemur dominum? Numquid fortiores illo
35 sumus? Fortiorem se confidit, qui dei ordinationi resistit, quoniam non est potestas nisi a deo. Sed quid ait propheta? „Confundantur omnes, qui pugnant adversum te domine,

170. a) HEINRICI MARCHIONIS. b) BENNONIS. c) Falsches Kaisersiegel, Nachbildung von Breßlau, Heinrich IV. 5. d) kl mar. e) mill f) xlii